religiosa habit. VViteberg. *r*) Sleidan. lib. 10. *s*) Novell. vid. Minist. Hamb. Quackergreuel cap. 10. *t*) Cic. Orat. 24. n. 69. *u*) Sveton. Claud. cap. 25. *vv*] l. 10. ep. 97. & 98. *x*) 3. Reg. 12. *y*) Forstn. not. pol. in Tac. Ann. lib. 4. cap 2. *z*) 5. histor. cap. 5. *aa*) ibid. *bb*) Ammianus lib. 22. cap. 7 *cc*) epist. 166.

2. In securitatem Tyrannidis Patrum electione cap. 8.

VIII. Sed ne præter modum simus prolixi, ad alteram libertatis partem proferamus pedem. Mira certe res, *Imperium & libertas, duo dissociabilia a*) concordem nunc claudant coronam? objiciat aliqvis *libertatem à Bruto demum institutam b*) *& sub Regibus libertatis dulcedinem nondum fuisse compertam. c*) Ast qvod Cicero aliqvo loco *d*) dicit: *aut exigendi reges non fuerant, aut plebi re non verbis danda libertas*, id nostro negotio appositè possumus accommodare: Nam distingvendum inter *umbram libertatis & ipsam libertatem e*) *s. inter speciem dignitatis & potestatem ipsam, f*) utram possideat populus parum refert. Magnam igitur libertatis speciem dabat *electis centum Patribus s. Senatoribus*, omnesq; sperabant, Imperium jam esse divisum, & penes honoratiores & potiores è populo collocatum: Verum si res ipsa ponderetur nunqvam magis laboravit libertas. Videbat enim dux callidissimus, esse aliqvos naris emunctioris viros in civitate, qvi facile potuissent machinas hinc inde structas deprehendere; hinc implicabat eosdem negotiis honorificis qvidem, ast etiam onerosis, ut istis alia cogitantibus, sibi pateret amplus ad Monarchiam aditus. Eodem artificio Romanæ Monarchiæ incunabula fovebant Cæsar *g*) Augustus *h*) Tiberius *i*) aliiq;, *qvi castigatis obliqve Patribus, qvod cuncta curarum ad principem referrent, causas privatas, judicia, postulata provinciarum, & alia ad remp. minus spectantia humeris ipsorum imponebant*, & ista adversus suam sententiam decerni ne qverebantur qvidem, *k*) ut cum Tiberius CHRISTUM inter Deos referre vellet, reclamante Senatu à consecratione abstinebat. *l*) Interea ipsi invadebant libertatem. Sic Jethro Mosi dabat consilium, ut inferiores constitueret Judices, qvi nihil nisi qvæstiones difficiliores ad eum remitterent. *m*) Atq; hoc est qvod volebat Cromwelus, dum Parlamentum Anglicum veterem libertatem spirans, omni ex parte immutaret. *n*) Nec alieni sunt ab hoc instituto Reges Galliæ, qvare tot Parlamenti Parisiensis controversiæ cum Henrico IV. *o*) Carolo IX. *p*) Francisco I. *q*) & qvi restant. Nam hæret in recenti memoria Pariú in